

# HIPPOCRATES

## HOMO, PHILOSOPHUS, MEDICUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS, QUAM CONSENSU ET AUCT.  
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIIS, NEC NON I. FACULTATIS  
MEDICAE PRO DOCTORIS GRADU RITE OBTINENDO IN  
ALMA, AC CELEBERRIMA REGIA SCIEN. UNIVERSITATE  
HUNGARICA PUBLICAE DISQUISITIONI  
SUBMITTIT.

*EMERICUS P. LINDENMAYR.*

HUNGARUS CSAKOV A TEMESSIENSIS.

---

Theses adnexae publice defendantur in Palatio Reg.  
Universitatis maiori die 31 Augusti 1832.


---

B U D A E,

TYPIS TYPOGR. REGIAE UNIVERSIT. HUNGARICAE.

Liberam profiteor Medicinam , nec ab antiquis  
sum , nec a novis : utrosque ubi veritatem colunt , se-  
quor ; magnificatio saepius repetitam experientiam.

D. L. G. Klein in Praef. interp. Clin.



SPECTABILI AC MAGNIFICO

DOMINO

JOSEPHO JANKOVICH,

DE

JESZENICZE,

S. C. ET R. A. MAJESTATIS CONSILIARIO,

VICE-COMITI I. COMITATUS ALBENSIS

EMERITO.

**VIRO**  
**SCIENTIA, HUMANITATE, NOBILITATE**  
**AEQUE INSIGNI,**  
**DE PATRIA MERITISSIMO,**  
**LITTERARUM FAUTORI EXCELLENTI**  
**IN PERENNE GRATI ANIMI, SUMMAEQ. VENERATIONIS**  
**PIGNUS**  
**D. D. D.**

**AUCTOR.**

# Spectabilis ac Magnifice Domine!

Tantum est **TUUM MAGNIFICE VIR!** in me studium, tanta novissime per te concessa gratia, ut nil unquam majori me perfudisse laetitia publice fatear, quam ubi prima haec in arte medica conamina typis edenda, levia, tantoque Honore vix digna **NOMINI TUO MAGNIFICO** insignire mihi permisum esset.

Hac mea oratiuncula plurima tua in Patriam merita laudibus extollere, non mihi est in mente; cum haec majora sint, quam quae inbecilli possim depingere calamo; nec intentionis sum perennia in dulcem salutem, integrumque vitam, sive per Humanitatem, sive per Scientiam, sive per revivificantem gratiam tuam restitutorum hominum posita monumenta commemora-re, cum singularis tua id vetet Modestia; nec etiam amplissimis verbis praedicare

audeo magnificum mihi tot occasionibus  
exhibitum Favorem, cum huic praestando  
exilis mea non sufficiat facundia: verum  
data perquam exoptata occasione publicum  
tibi pignus piae venerationis, et  
perpetuae observantiae exhibere cupio.

Suscipe igitur, VIR SPECTABILIS, AC MAGNIFICE! suscipe aequo animo tenues hosce labores meos, non ut hisce novum tibi accresceret decus; sed quo unicum valorem haecce folia repeatant, velis itaque serena, ut soles, fronte acceptare, et concede, ut NOMEN TUUM MACNIFICUM perpetuo vivat iu animo

DEVINCTISSIMI  
AUCTORIS.

---

## Lecturo Salutem.

Jubent statuta publica pro assequenda dignitate Doctoratus Medicinae disquisitioni publicae opusculum submittendi; sudent adjuncta privata, ad hancce dignitatem, quam citissime properare. En Lector Benevole! quod determinat, hasce lineas lucem conspicere.— Ast profecto magnum opus! simulque arduum, ut tironis virium tenuitas satisfaciat scopo, qui est: ut Doctoris Medicinae lauream adspirans, aut Scientiae incrementa addere studeat sua dissertatione; aut salutiferae arti quidpiam emolumenti, largiatur. — Horum non immemor in eligendo themate dubium me haesitasse fateor: quid enim assumere? cui et enucleando par essem, ut non solum scripsisse videar; verum etiam fini hujus substrati pro viribus respondere conatus fuisse existimer. — Utrumque ergo serio animo volvens, candide decrevi: primo implendo me imparem esse. Quid enim novi Candidatus Medicinae studiorum cursu vix ab solo, tam Aliae Scientiae addere poterit? ante-

quam, et praecepta hausta, ut ajunt: in succum,  
et sanguinem convertisset? Restitit adeoque poste-  
rius, ad quod implendum non Monographiam  
Morbi cuiusdam selegi, quoniam vix ullus exi-  
stит non et repetito exactissime lustratus; verum  
constitui tramitem minus calcatum ingredi elabo-  
rando Thема historicum.

Suscipe Lector amice! primos hos conatus  
literarios animo benigno, memor, quaeso, Roma-  
ni poëtae Verborum:

Ut desint vires, tamen est laudanda  
voluntas, erroneaque quaedam si inveneris, nolis  
severa mente judicium depromere, et humani quid  
mihi accidisse memento.

Dabam Pestini die 21. Augusti 1832.

## Introductio.

**S**tudium Historiae Medicinae, ad cognoscendum locum, ex quo, in quem devenerimus non summe utile esse, quis est? qui dubitet. — Verum enim vero via ad illud ducens non minus ardua, quam parum calcata offenditur; nolimus tameu ideo deterreri, et ne sit a nobis alienum Codices et antiquiorum, et recentiorum solertia indefessa volvere, ut sic fertilissimi emolumenti, summaeque remunerationis participes existere queamus: aut quis, conspiciens se ornatum Scientia, atque Experientia divi Hippocratis, verecundi Celsi, diu dominantis Galeni, immortalis Sydenhami, restauratoris Boerhaave, magni van Swieten, et plurimorum aliorum contrariae poterit esse sententiae? — Horum attentio ne dignissimorum virorum biographias publici juris facere intentionis eram; cum tamen super quemquam verba facere restrictus pagellarum mearum non concedat numerus, ceteros commendans successoribus selegi unicum, semperque mihi sit venerandum nomen Hippocratis.

### *Medicina ante Hippocratem.*

Hanc breviter mihi attingere liceat, priusquam ad Medicinae Parentem deveniam. — Medicina generi hu-

mano coaeva merito dicitur, semper enim erat, eritque illius necessitas; quid mirum? si videamus omnis aevi gentes eandem coluisse. Palmam tamen cunctis praeripuere Graeci; hi enim non solum fundatores Medicinae firmioris dici possunt, verum et promotores merito appellantur. Omnis pulchri summi amatores, non poterant non, et Medicinae rudimenta antiquissima recondita vetustate ad altiorem deducere gradum, et hoc respectu multum debemus

*Asclepiadeis*, scilicet Sacerdotibus in templis Aesculapio sacratis fungentibus. — Primus enim, qui inter Graecos excellebat, erat *Aesculapius*, secundum fabulosam antiquitatem filius Apollinis ex Leucippi Mosseniae Regis filia; secundum alios Aesculapius rex erat Thessaliae. Hic simplicissimam coluit Medicinam, et non aliis usus est remediis, quam paucis vegetabilibus. Cum tamen mente acuta, claroque iudicio ex parco quamvis apparatu selectum ficeret felicem, post mortem inter Deos referebatur, plurimisque in locis illi Templa exstrebantur. Sic magni nominis erat Fanum Epidauri in Peloponeso, in Civitate Argos, in insulis Cuidos, et Cos. Hic locorum constituti Ministri sanabant eorumdem opem implorautes, et inscribebant tabulis in templo affigendis aphoristica brevitate omnes factas observationes. — Strictissimi in adimplendis officiis erant Sacerdotes insulam Cos inhabitantes. Non parum porro in acceptis referimus

*Naturaephilosophiae*, quae maxime sub Thalete Milesio, sub Pythagora, sub Empedocle docuit rerum cognoscere causas; cum tamen haec Philosophia mox Naturam derelinquere, et solum transcendentalibus speculationibus indulgere coepisset, ad ultimum plus

nocnit, quam profuit Medicinae. — Sed et tertium nos ad gratiarum actionem stringit, videlicet

*Gymnasia*, seu instituta pro addiscendis multifariis corporis exercitiis destinata, hic locorum Diaetica, et Chirurgia majora in dies capessivit incrementa.

Tali sub rerum statu desiderabatur adhuc Vir, qui et ingenio valeret, et conscientia dignitatis suae imbutus foret, ut cum propriis additamentis exstanti jam convenientem formam daret, sicque firma principia Medicinae verae conservatricis generis humani stabiliret. Providentia tamen non interruptim saluti populorum invigilans, et hoc beneficium non denegavit, et optimo tempore nasci jussit virum, reipsa Unicum, veramque Petram Medicinae, ad cuius nunc vitae historiam transibo.

### *Hippocratis Biographia.*

*Hippocrates* in Insula Cos ex genere Sacerdotum, parente Heraclide ex antiqua stirpe Aesculapii, et matre Praxitheia ex stirpe Heraclis ante Christum natum anno 460, secundum alios 456 genitus, vixit coaevus Pericli, Socrati, Platoni, Thucydidi, Xenophonti, tempore belli Peloponesiaci, tempore, quo Romae leges introducerentur, quo Perdicas Macedoniae praeesset, et Artaxerxes in Persia regnaret. — Per parentem primis imbuebatur Medicinae principiis, ab eo didicit morbos observare, plantas colligere, et medicamenta parare. Mortuis vero parentibus Athenas transivit, in cuius Gymnasio nobilem nactus est educationem; in medicina usus Moderatorc Herodico Selymbriaco, in Philosophia, et Arte oratoria Gorgia Leon-

tino, terminatis hic studiis contulit se in septemtrionalem Graeciam, et alternatim jam in Thessalia, jam Macedonia, imo Thracia frugiferam instituit praxim, ipsam etiam Asiam minorem peregrinando lustravit. — Tempore Communis Calamitatis ubique consilio, et opera serviendo paratus, non solum ipse in curaudis aegris solertissimus erat. sed et filios discipulosque auxilio omnem in partem dimisit. — Ob hunc indefesum agendi modum pluribus e Civitatibus publicae gratiae, maximique honores Eum manebant. Athenienses jus civitatis ei contulerunt, Coënses, Thessali, Argivi in honoribus ei exhibendis aemulabantur. Hoc modo adquisita fama, et conciliata dignitas non potuit non dispergi per Regna vicina, et in sequelam magni jam nominis est vocatus ad Regem Illyriae, invitatus ad Regem Paeoniae, imo suum quoque nominare voluit Rex Persarum: attamen vir hic Patriae amantissimus majoris habuit de Patria bene mereri, quam omnibus donis, summisque honoribus cumulari.

Luculenter e relatis patet: Hippocratem fuisse virum expertissimum, scientia, virtutibusque ornatissimum, humanitate insignem, Patriae studiosissimum, minime vero honorum, atque aeris cupidum.

Plurimis ita collectis observationibus, maxima instructus Scientia, firmaque experientia hausta in insulam, unde Sidus hoc in perpetuum radians Graeciae, totique orbi exortum, reversus est. Totum se ab hinc impedit erudiendo discipulos, conscribendo opera, ac conscripta in ordinem redigendo: Viro enim tanto non solum coaevis, sed et posteris vivere conveniebat. Hoc negotio detentus, cum semel adhuc Regiones sibi caras, fidosque testes suorum praeclare actorum invisere inten-

deret Larissae in Thessalia anno ante Christum 375, aetatis vero 85 e vivis decessit. Sepultus inter Larissam, et Gyrton. Filios reliquit duos, quorum unus Thessalus, alter Draco; et generum, qui Polybus vocabatur, omnes Medicos.

### *Hippocratis Opera.*

His immortale sibi monumentum posuit, quae tamen proh dolor! multum ex originali sua forma deperdiderunt: ipsi enim filii, et gener Hippocratis, ut Galenus clare monet, plura addiderunt, alia immutarunt. Et ideo e numerosis operibus haec fere solum pro veris, et genuinis recommendari poterunt:

1. Hippocratis Aphorismi.
2. — liber de aëre, aqua, et locis.
3. — Prognosticon.
4. — liber secundus Praedictionum.
5. — — primus, et tertius de Epidemias.
6. — de victu acutorum.
7. — de vulneribus.
8. — de fracturis ossium.

Libri de Medici Officina, de Jure jurando non vindicantur esse genuini, sic et plures alii pro conaminibus Hippocratis habiti.

Videntes ex his quantae frugis Hippocrates qua homo omnibus seculis fuerat, interest etiam Virum eximium qua Philosophum considerare.

### *Hippocratis Philosophia.*

Multi Veteres, inter quos et Galenus, putarunt Hippocratis bene partain fainam non sufficienter firmatam, nisi eundem simul magnum, ac profundi studii Philosophum dixerint. Et sane versatissimum in Philosophia se exhibuit, non quidem in ea tunc temporis vigente, et solum metaphysicis abstractionibus, inanibusque speculationibus referta; verum in Philosophia adplicata, ea nempe, quae utilitatem summam generi humano promittit. — Cum autem studium Medicinae ab antiqua illa Philosophia disjungeret, minime non perspexit: primum in altera fundari, minime eum latuit: ad justam ex crebris observationibus faciendam conclusionem maxime necessarium esse judicium, Medicinae studium ita cum Philosophia minus extravagante conjunxit: sicque agendo rudem empiriam ad experientiam devexit, toti vero Studio ab inutilibus luxuriantis ingenii productis purgato liberiorem apperuit campum. Non tamen omnes respuit doctrinas videntis tunc Naturaephilosophiae: ex pluribus enim locis, uti Aph. V. 62 et 63 intelligitur eundem assumsisse quatuor Elementa: ignem, aërem, aquam et terram; pluris tamen semper censuit horum qualitates, sic igni tribuit qualitatem calidam, aëri frigidam, aquae humidam, terrae sicciam. Ast non substitit penes haec Empedoclis praecepta; verum his omnibus praefixit Supremum Principium, quod Naturam dicit, de hac sic se exprimit: Natura animalibus sufficit in omnibus, haec a se ipsa omnia scit. Habuit ergo Naturam pro Vi suprema, cui plures aliae subordinatae essent, et has in consensu ponere vitam. — Novit etiam vir hic vim attractionis, et repulsionis, quod ex operibus illius elucet. —

Consideranti haec dogmata facile palam fit, Hippocratem et qua Philosophum non fuisse mediocrem, et hisce non solum Medicinae maxime consultuisse, verum et immortalitatem nominis stabilivisse.

Perpensis nunc perpendendis sub duplici respectu, videamus quantum valuerat qua Medicus.

### *Hippocratis Medicina.*

Studium Medicinae tam extensum, tam momentosum, praeterea cognitiones Hippocratis in eodem tam fusae videntur postulare, ut singulos illius ramos singillatim pertractemus. Videamus ergo

#### a ) Anatomiam,

cujus Hippocratem solum circumscriptas habuisse notiones, et lectio attenta librorum nobis relictorum, et considerata tunc temporis vigentia praejudicia comprobant. Leges etiam exstabant, quibus conformiter mortui quam citissime, simulque intacti sepeliendi essent, unde liquet: cognitiones anatomicas eum ex sola sectione animalium sibi comparare valuisse. Galenus tamen contrarium conatur demonstrare in Libro secundo de administratione anatomica. — *Osteologiam* sat perfecte novit, quod edocemur lectione Libr. de Vulneribus, et Ossibus fractis. Aliquam cognitionem etiam habuit de *glandulis, nervis, venis et musculis.* — Quod autem in Anatomia minus versatus fuerat, nec minimum splendori bene fundatorum meritorum detrahit; quoniam inter ramos Medicinae, in quibus omnis aevi medicis superior fuerat, non erat Anatomia.

## b) Physiologia.

Haec quoque, ob basim imperfectam, imperfecta conspicitur. Sententiae hinc inde dispersae sunt vacillantes, incoimplatae, dubiae; ast recte per hanc iudicii sobrietatem, qua explicare noluit, quae non penetraverat, nobis se exhibuit admiratione dignissimum. Quot enim Viri inveniuntur? qui in tantis, ut Pater medicinae, perfecti tam modeste neverunt nisi in Hypotheses moderari. — Omnia illius opera volvendo **vix** aliud ad Physiologiam faciens invenimus, quam doctrinas *de Calore innato, et de Spiritu*. Priorem, ad quam corpus animale cum universo comparando pervenit, Aph. I. 14. ita commemorat. „Quae incrementum, plurimum calorem innatum obtinent, plurimo igitur indigent alimento; in senibus vero, cum paucus calor insit, idcirco sane paucis somnitibus indigent, a multis namque extinguntur, eandem etiam ob causam neque senibus, quod eorum corpus sit frigidum, febres perinde acutae contingunt.“ Ex hujus Caloris innati evaporatione mortem deduxit. — Per doctrinam de Spiritu videtur intellexisse subtilem materiam aëream, quae juncta cum innato calore per venas non interruptim movetur, et a cuius plus, vel minus, aut a perturbato motu morbi proveniunt. Haec doctrina tardius originem dedit Medicinae pneumaticae.

Apparitiones singulares in corpore vivo ex observationibus Morborum cognitas digno conspexit oculo, minime vero explicationem earumdem suscepit. Hic memorari meretur: *Consensus* partium, ex quo etiam indicationes desumebat, sic Aph. V. 50. dicit: „Mulieri si voles menstrua sistere, cucurbitulam, quam maximam ad nares appone.“ Ita etiam notum habuit:

post laesiones capititis convulsiones in opposito latere exoriri. — Fateri itaque debemus cognitiones illius Physiologicas exiles fuisse.

### c) Pathologia.

Proponenti mihi, quid quantumve Hippocrates in Pathologia valuerat, liceat juxta principales illius partes progredi, et ita suscipiam investigandam

1-mo. *Aetiologyam.* In causis proximis morborum assignandis cautissimus erat Hippocrates; quare et Theoriae morborum, in illius operibus rarissimae, solum experientiae superstruuntur, et vix exstat locus, ubi hanc non secutus fuissest viam. — Primum locum in producendis morbis assignavit *humoribus*, uti: Sanguini, Muco, bili flavae, et bili atrae; adfert praeterea certas acrimonias, nec non complexum Spirituum (Enormon - principium *vitale*). — His innoxius principius Theoriam febris ardentis sic concepit Libr. IV. de Victu acutorum: „Febris ardens fit, quum resiccatae venulae tempore aestivo, acres, et biliosos serosos humores ad se adtraxerint.“ — Theoriam Anginae eodem loco hisce exponit: „Angina fit, quum sub hyemem, aut vernum tempus multa, ac viscida fluxio e capite ad venas defluxerit, eaque propter amplitudinem copiosiorem fluxionem attraxerint; quum autem, quod et frigida, et viscida sit, obstruat, tum spiritus, tum sanguinis vias occludens, vicinas sanguinis partes cogit, ipsumque immobilem, ac stabilem efficit, quum frigidus natura sit, et obstruendi vi praeditus; ob id suffocantur liveuto lingua, et rotunda evadente, ac reflexa propter venas linguae sub-

jacentes.“ Hujus loci est etiam Theoria catarrhi, cuius genesim proponit, cum dicat Mucum acrem in cœrebro secretum venarum ope ad varia loca deferri, ibique Morbos topicos producere.

Quo minus autem Doctrinam de causa proxima: eo fusius, et curatius eam de Causis remotis pertractavit, et in eo maximi omnes Medici convenerunt. — Perbene novit Hippocrates influxum vicissitudinum universi in corpus humanum: perspexit Vim loci, influxum vicissitudinum temporis et aëris, potestatem Climatis, potentiam Nutrimentorum, vivendi consuetudinis, aetatis etc. Peculiariter distinxit Constitutionem aëris, loci, et ventorum, et hisce posuit perennia fundamenta, quibus superaedificavit Sydenhamus, quae non neglexerat van Svieten, quibus utuntur recentiores. Vir hic insuperabilis primus agnovit Constitutionem anniversariam, et morbos notavit, in quos haec constitutio influat. Ille assignavit vim frigoris et Caloris in corpus humanum dicendo Aph. V. 16. „Calidum, eo frequentius utentibus, has assert noxias, carnium effaeminationem, nervorum impotentiam, mentis stuporem, sanguinis profluvia, animi adfectiones, ad quae mors sequitur. Frigidum vero convulsiones, nervorum distentiones, denigrationes, et rigores febriles.“ Ita ostendit imperium vicissitudinum aëris, et temporis in constitutionem universalem immutandam Aph. III. 15. „Ex anni conditionibus in totum magnae siccitates assiduis imbribus sunt salubiores, minusque lethales.“ Plurimum nocere dixit repentina tempestatis mutationes, dicens Aph. V. 1. „Tempestatum anni mutationes potissimum morbos pariunt, et in ipsis anni tempestatibus magnae mutationes frigoris, et caloris, aliaque pro ratione ad hunc

modum. "Non minoris habuit singularitates ex aetate, sexu, habitu corporis in producendos morbos. Ex his certe circumspectum, et cunctis intentum agnoscimus Naturae investigatorem.

2-do. *Nosologiam*, quod attinet, haec ob multam Physiologia in minus perfecta fuit; novit tamen statum repletionis, et evacuationis universalis, ita etiam majorem, vel minorem impetum humorum, praeципue sanguinis, ad singularia organa. De divisione autem morborum minus sollicitus pluris fecit claram dare morbi imaginem, quam illius defigere nomen; neque aliam assumxit divisionem, quam a decursu, nempe morborum acutorum, et chronicorum; quamvis saepe et causas in censum vocaret, maxime in subdivisionibus, juxta illud: Medicis deest Experientia, qua casus dignoscerent singulos, ubi debilitas sequela evacuationis vasorum, aut ubi effectus aliquujus stimuli, vel doloris, et vehementiae morbi, et quid qualiave symptomata, morborumque genera natura, habitusque corporis nostri procreando par sit.

3-tio. *Semiologia* est, qua aeternum fulget Hippocrates. Quantacunque fide, quantave veneratione dignum enim divum censeamus Hippocratem, coronidem tamen suae perfectionis nobis in Semiologia reliquit. — Fidelis hic naturae observator ante omnia morborum symptomata distinctissime proposuit, ut taliter medicos ad hos in omni ambiguitate infallibiles duces attentos redderet. Quod tamen, ut perfectius praestare valeret, determinavit summum hunc naturae cultorem morborum tria stadia assumere, nempe: *Cruditatis*, ubi humor vitiatus omni, qua pollet vi, in vitam saevit; *Coctionis*, in quo idem humor reni-

tenti virtuti vitali, et quam haec intendit. praeparationi paulatim cedit; *Crisis*, ubi idem humor in aegri salutem taudem ex corpore eliminatur. — Porro, ut clarior adhuc esset: *dies criticos* signavit, observavit enim, quod febriles praesertim morbi certis diebus, uti: quarto, quinto, septimo, undecimo, decimoquarto, decimo septimo, vicesimo facilius, idque certius liberentur ab humore morbifICO, aliis vero difficilius, inipusque perfecte. — His nunc intentus, quidquid oculo Medici se sistere posset, fidelissime annotavit pro amussi semper habens: Aegri habitum, illius aspectum, situm corporis, calorem, coloreni cutis, mutationem circumferentiae, ita etiam evacuaciones criticas, utpote: sudorem, urinam, alvum, haemorrhagias statum linquae; non neglexit respirationem, functiones animae et corporis; imo et decimam puris proponit ad cruentam lethalitatem Phthiseos, juxta illud Aph. V. 11. „In tabe vexatis si sputum, quod tussi rejiciunt, carbonibus infusum, gravem odorem emittat, et capilli ex capite desfluant, lethale est.“ — Unica tamen series symptomatum attentionem hujus viri subterfugit, nempe Pulsus, sed nec ulla Semiologia unquam potuit hac doctrina citius carere, quam Hippocratis, quae praeter defectum memoratum omni desiderio major fuerat. Liceat aliqua in confirmationem asserti mei adferre. et omnis mox perspiciet Hippocratis Semiologiam nunc quoque medicis juste in deliciis, summeque necessariam esse.

In Libro de praenotionibus (Prognosticon) hoc modo se declarat: „In morbis acutis oportet hoc modo considerare: primum quidem aegri faciem, si sanorum similis sit, maxime vero sui ipsius: ita enim

optima erit. Summe autem contraria simili, pessima est. Erit autem talis, nasus acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidae, et contractae, et imis partibus inversae, et cutis circa frontem dura, intenta, et arrida existens, et color totius faciei ex viridi pallidus, aut niger, aut lividus aut plumbeus. (*Facies Hippocratica* vulgo dicta) Si igitur in principio morbi talis fuerit facies, et nullo modo possibile fuerit, aliis signis conjectari. interrogare oportet, num vigilaverit homo, aut venter vehementer solutus fuerit, aut fames ipsum oppresserit. Et si quidem horum aliquid confessus fuerit, minus malum esse existimabit. Judicantur autem haec intra diem, et noctem, si ob causas, hujusmodi facies talis fuerit. Si tamen nihil horum esse dixerit, neque in praedicto tempore constiterit, nosse oportet hoc signum lethale esse. Si tamen morbo vetustiore triduano existente, aut quatriduano, talis fuerit facies, interrogare oportet de his, de quibus supra praecepi, et alia signa considerare, quae in tota facie, et in corpore, et in oculis sunt. Si namque lumen refugiunt, aut sine voluntate illachrymentur, aut pervertantur, alter altero minor fuerit, aut quae in his alba esse debent, rubescant, atque in iisdem venulae lividae, vel nigrae sint, aut sordes appareant circa oculos, aut etiam assidue mobiles, tumidis vel admodum cavi facti, aut squalentes, et obscuri fuerint, aut color totius faciei immutatus fuerit: haec omnia mala, et perniciosa esse existimandum est. Sed et ipsas oculorum subapparitiones per somnos in hunc modum considerare oportet. Si namque aliquid ex albo subapparuerit, non commissis palpebris, non ob ventris fluxum, aut medicamenti potionem, vel non sic assveto dormire, malum signum est, et admodum exitiale. Si vero palpebrae, aut

labra, aut nar.s una cum alicuius alias signi accessione pervertantur, aut corrugentur, aut livescant: nosse oportet morti proximum esse. Lethale etiam est, si labia resoluta, et pendentia, et frigida, et albican-tia fuerint. *Jacentem* autem oportet inveniri aegrotum a medico super latus dextrum, aut sinistrum, manibus, cervice, ac cruribus parum inflexis, et univer-sum corpus molliter jacens. Sic enim plurimi sanorum decumbunt. Optimi autem sunt decubitus, qui sanorum decubitibus similes sunt. Supinum vero ja-cere, et manibus, et cervice, et cruribus porrectis minus bonum est. Si vero inveniatur nudos habens pedes, ubi non fuerint admodum calidi, et manus, et collum, ac crura inaequaliter disjecta, ac nuda, malum est. Anxietatem enim significat. Lethale autem est, etiam ore hiante assidue dormire. Pariter et cru-ra supini jacentis vehementer inflexa, disjunctaque es-se. Pronum vero in ventrem cubare, si modo per sanitatem assueverit, delirium, aut partium ad ven-trem attinentium dolorem designat. Quod si, dum morbus viget, aegrotus velit residere, hoc in omnibus acutis morbis malum, in pulmoniis vero pessimum est. Stridere autem dentibus in febribus, nisi quis a puero assueverit, insaniam et mortem portentit. Sed quantum quidem ab utroque periculi immineat, prae-dicendum. Si vero et delirans hoc agat, id jam valde perniciosum est. Nec vero ignorandum, an ulce-re, vel ante morbum, vel in ipso morbo nato labo-ret. Nam si homo moriturus est, lividum, et siccum aut pallidum et siocum ante mortem evadat. Caete-rum de *manuum* gestibus, haec nosse oportet. Quo-ties in acuta febri, aut pulmonis inflammatione, aut insania, aut capitis dolore aegrum videris manus ante faciem attollere, et quasi muscas inani opera ve-

nari, et festucas carpere, atque floccos a vestibus, vel ab adjuncto pariete, si quae minuta eminent, elevare, ea omnia mala esse, et mortifera censendum.— *Sudores* in omnibus acutis morbis optimi sunt, quam et diebus criticis proveniunt, et febrem prorsus auferant. Boni quoque, qui toto corpore manant, faciuntque ut homo facilius ferat morbum. Qui vero nihil eorum effecerint, haud quaquam commodi videntur. Pessimi autem sunt frigidi, et qui circa caput tantum, et faciem, et cervicem oriuntur. Isti enim cum febri quidem acuta mortem, cum mitiori vero morbi longitudinem denunciant. Similiter, et qui in toto corpore eodem, quo et in capite modo proveniunt. At qui milii ad instar prodeunt, quique solo in collo emergunt, mali sunt. Boni vero, qui guttatum stillant, et vaporem tollunt. Caeterum universalem sudorum rationem novisse oportet. Fiunt enim aliqui propter corporum exsolutionem, alii vero propter inflammationis vehementiam solent excitari. — Quod si caput, et manus, pedesque frigeant, ventre et lateribus calentibus, malum. Optimum vero totum corpus calidum, et molle aequaliter esse. Oportet autem eum, qui laborat, facile converti, et in assurgendo levem esse. Sin autem tum reliquum, tum manus, pedesque graves esse videantur, majus periculum est. Mors confessim exspectanda vero est, si praeter gravitatem, ungues, digitique lividi evaserint. Pedes autem digitique penitus nigri minus perniciosi sunt lividis. Sed et alia signa considerare convenit. Nam si aeger malum leviter ferre videatur, atque signum aliquod salubre praeterea se ostendet, morbum in abscessum versum iri spes est, ex quo homo quidem incolumis evadet, partes autem corporis, quae nigredinem contraxere, decident. — *Sputum* in omnibus pulmonis, et lateris

doloribus celeriter, ac facile exspui oportet; et valde commixtum sputo flavum apparere. Si namque multo post doloris initium flavum exspuatur, aut fulvum, aut quod multam tussim excitet, neque valde commixtum, deterius est. Flavum enim si sincerum fuerit, periculosum; album autem, et viscidum, et rotundum, non bonum. Malum autem, et quod pallidum admodum, et quod spumosum est. Ast si adeo sincerum fuerit, ut et nigrum appareat, hoc illius deterius est. Malum quoque, si nihil expurgetur, neque projiciat pulmo, sed plenius in gutture serveat. In omnibus autem morbis, qui pulmonem exercent, malum est, gravedines, atque sternutamenta praecessisse et consequi. In aliis vero maxime exitialibus morbis, sternutamenta utilia. Sputum vero flavum mixtum, cum pauco sanguine in peripneumonicis, si inter initia edatur, salutare est, et valde consert; si vero septimo die, vel etiam serius procedat, securitatis minus est. Omnia autem sputa mala sunt, quae dolorem non sedant, pessima vero nigra, ut descriptum est; omnium autem, quum exscreantur optimia, quae dolorem sedant. — Attamen satis: fusior enim et nunc jam evasi, quam fuisset propositi mihi; non tamen metuo, ut Tu L. B. meae ob rerum praestantiam, prolixitati digneris.

Videmus ex hinc: Hippocratem genio illo singulari, quo donatus revera Medicinae rationalis Fundator evaserat, veritates quasi e tripode protulisse summas. Et ita velis benevole me porro sequi.

### d) Therapia.

Tali cognitioni Naturae non potuit non optimum quoque curandi modum subjungere, et certe genium

suae (imitationis dignissimae) Therapiae perbene exprimit, dicendo: „Morbi curandi sunt respiciendo ad Universalia, et singularia.“ Hoc asserto aequa procul distat ab infructuosis hypothesibus, quam a rudi empiria. — Vir summus in arte medica generalia quaedam principia sibi praefixit. Sic convictus erat de veritate in rerum Natura fundata, quod contraria contrariis curari debeant, nam Aph. II 22 dieit: „Morbos ex repletione curet evacuatio; sic eos, qui ex evacuatione fiunt, repletio; et in ceteris contrarietas remedio est.“ Omne remedium sit in ratione aequali cum magnitudine Morbi, et non sit repentinum, dicit enim „Periculosum est confertim, et repente vacuare vel implere, vel calefacere, vel refrigerare, vel utcumque corpus aliter movere. *Omne siquidem nimium Naturae inimicum.* Verum quod paulatim fit, securum est; tum vel maxime, si quis ab uno ad alterum transierit. „Porro:“ Cum quis facit recta ratione omnia, neque tamen pro ratione succedat, non est ad aliud progrediendum, si manet, quod ab initio visum est.“ Non tamen cogitandum Hippocratem Therapiam mere exspectativam exercuisse, nam certe et maxime heroica applicare novit, ubi indicatio exposceret; hoc sensu Aph. I. 23. ait: „Quae procedunt copia minime aestimanda; sed ut qualia, expedit, prodeant; et aeger facile ferat, atque, ubi ad animi defectionem usque educere oportet; id etiam faciendum, si aeger sufficere queat.“ Videmus ergo in indicationibus, aegrorum maxime vires resperxisse. Hujus loci est quoque istud: „Quae Medicamenta non sanant, ea ferrum sanat. Quae ferrum non sanat, ea ignis sanat. Quae vero ignis non sanat, ea insanabilia reputare oportet.“

Consideratis his generalibus ad specialia transeundum; et quoniam Hippocrates simplicissimam sequens distinctionem Morborum, nempe: acutorum, et chronicorum, primos p[ro]ae aliis attenta observatione scrutatus fuisse, hic quoque, cum solum Acutos lustratos conspexeris, velis contentari.

Ad Morbos acutos plurimam convertit attentionem, cumque in his per excellentiam *Vim naturae Medicatricem* conspiceret, omni tempore, omnique loco hanc solummodo qua securissimam et infallibilem ductricem sequi adnitus est. — Et sane non destituebatur remunerazione, merita enim illius de genere humano comparata eo adhuc vivente summa cum veneratione agnoscabantur; Doctrinae vero in emolumentum omnium generationum a maximis omnis temporis Medicis sancte servabantur, grata agnoscentur nunc, pie prosequentur olim. — Verus hic Naturae imitator huic fudit in omnibus, solum id egit, quod haec indicaret, et tunc solum agendum suscepit, ubi haec non sufficere videatur. Hoc sensu ait: „Quae iudicationem subeunt, aut perfecte jam subierunt, ea neque moveto, neque Medicamentis, necque aliis irritamentis innovalo; sed finito. Quae educere oportet, quo maxime vergunt, eo ducito per loca convenientia. Cocta medicamento educito, ac moveto, minime cruda; neque per initia, nisi suapte impetu ad excretionem ferantur, quod fere non accidit.“ — Hisce continetur Hippocratis Doctrina de crisibus, et haec certe in perpetuum contra impugnatores tuebitur illius jura. — Has Crises vero luculentissime in Morbis acutis, qui decursum brevem habent observat, Aph. II 23. “Morbi acuti intra dies quatuordecim iudicatione terminantur; qui periculum minantur; et qui prognostica sive fausta, sive contra mi-

nime certa admittunt Porro: „Morborum acutorum non in toto certae sunt praenunciationes, neque salutis, neque Mortis. Horum mutationes maxime diebus in paribus; sed et paribus contingere possunt; verum in utroque casu possunt esse letales.“ Agnovit ergo et irregularitatem dierum criticarum, et plane defectum earumdem.“

In tractandis vero Morbis summi fecit *Diaetam*, cuius auctor dici potest Hippocrates; ipse hoc asserit, et Galenus confirmat: Veteres enim hanc partem Medicinae neglexerunt. — Principales quasdam stabilivit regulas: Ne aeger a consuetudine multum recedat, ita se exprimens: „Quae ex longo temporis intervallo asveta sunt, quamvis deteriora, insuetis minus molesta esse solent.“ Omnis excessus nocet, sic Aph. II. 3. 4. „Somnos, vigilia, ultraque modum excedentia, malum denunciant. Neque satietas, neque fames, neque aliud quidquam bonum, quod supra Naturae modum fuerit.“ — Sani nunquam utantur Medicamentis, dicit enim: „Qui bene habito sunt corpore, ad Medicamenta moleste habent.“ — Strictam diaetam sani minime obseruent, quoniam errores gravius ferunt.

Specialis Diaeta in morbis acutis dirigebatur semper eo, ut Naturae in obeundo officio auxilio esset: quare ad crises promovendas Potus refrigerantes, mucilaginosos signavit. Hujus generis erat: Decoctum Hordei excorticati nomine Ptisana veniens: hujus Ptisanae erat triplex species, nempe: *Ptisana tota*, ubi hordeum cum 12 partibus aquae ad disparitionem granorum coquebatur, *Ptisana collata* a crasiore parte separata, et *Ptisana seu aqua hordei*. Habuit dein po-

tum ex melle, vel et Oxymelle et aqua, admisit etiam vinum, ubi urinae pellendae essent. Semper tamen haec acutissime adaptavit Constitutioni aegri. Decursui Morbi etc. — Victus etiam in genere viribus sit correspondens, parcus in morbis acutis, neque semper idem pro diverso morbi gradu; dicit desuper sequentia Aph. I. 7. „Cum Morbus est peracutus extremos protinus obtinet labores, et extreme tenuissima victus ratione necessario utendum. Cum vero non est, sed pleniores victum adhibere concessum est: tam a tenui victu se subducere oportet, quum Morbus ab extremis recesserit „, ideo in Acme Morbi victus sit parcissimus, juxta illud “ Cum morbi summa est vehementia tunc vel tenuissimo victu uti est necesse.,, — In diaeta tamen Casui individuo multum attendendum esse docuit, porro respexit vires aegri, durationem morbi, aetatem, habitum corporis etc. Concessit praeter memorata: Lac, aquas soterias, balnea, et lotiones.

Diaeta omni parte absoluta ipsam *methodum mendendi* adgredimur. Hippocrates pro principali Officio habuit: observare Naturam, moliminibus illius invigilare. — Cum videret; haec molimina naturae semper in sanitatem restituendam tendere, permotus est ad haec verba: „Morbis natura medetur.“ — Cum morborum acutorum tria agnosceret stadia seu Periodos, consentaneum illi etiam videbatur per singulam periodum vires naturae eruere, effectusque colligere, ubi dein necesse fuerit, languentem erigere, excedentem compescere, nuncquam tamen proficiens moliminibus adversari; imo haec adjuvare praecepit sequentibus: „Quo natura vergit, eo ducenda.“ — Ideo in Periodo cruditatis nunquam suscepit evacuationes, dicit enim solum matura educenda esse: „Concocta me-

dicari, atque moveri oportet, non cruda, neque in principiis, modo non turgeant; plurima vero non turgent. — Ut his conformiter ageret, in hac periodo vias lubricas, atque liberas reddere conabatur, ut sic Concoctionis et Criscois stadium praepararet. Praeparavit autem vario modo pro diversitate individualis casus: ubi repletio aderat, ibi evacuare; ubi evacuatio praecesserat, ibi replere studuit; ubi vomitus affligeret aegrum, ibi diarrhoeam cire intendit. et contra.

*Ad dilucidanda dicta nonnulla breviter attingam:*

*Evacuatio Sangvinis* principalis illi fuerat in morbis acutis gravibus, ubi individuum plethoricum robustum fuerat, et quidem in loco parti affectae vicinissimo. Sic in Angina commendat sectionem venae lingualis praemissa venaesectione in brachio; quantitatem etiam ex gradu morbi determinavit. Erant in usu Venaesectiones omnibus in locis. ubi haec consiperentur vasa: porro locales etiam depletiones instituebantur, Cucurbitae cruentae perbene noscebantur.

*Evacuatio tubi alimentaris* per Emesim, et Alvum instituebatur, ubi ex Tubo cibario evacuandum esset, quod morbum posuit, vel humor multum destructus ibi haereret; Svasit tamen magnam attentionem ad Clima, anni tempus, tempestatem, aetatem infirmi, et indolem morbi; dein ut neutra, minime vero evacuatio per alvum, modum excedat. Etiam eam esse seligendam Evacuationem, quae per ipsam indicatnr Naturam. Nam quo Natura vergit, eo ducenda; prius tamen lubrica est reddenda via, quacunque illa sit; si per os purgandum fuerit alvus re-

tinenda, si per alvum fiat evacuatio, intestina sunt reseranda. — Ad emesim movendam utebatur plerumque domesticis: aqua tepida, titillatione faucium vel digito, vel penna perficienda; mixtum ex aqua, melle et aceto saepe dabatur, rarioribus in casibus Aerugo adapplicationem invenit. — Ad alvum leniter movendam adhibebant similia, aut succos plantarum, vel harum etiam Decocta; hujus generis plantae erant: Mercurialis annua, Beta alba cum melle, vel et sale communi, eodem scopo Lac, et quidem asininum, adapplicationem invenit. — Ad alvum fortius ciendam drastica adhibuit. Cautus hic naturae Scrutator blandissima in morbis acutis ordinavit; nihilominus non abstinuit a medicamentis etiam heroicis, ubi indicacionem invenit; sic frequentem fecit usum drasticorum, ubi in morbis chronicis fortior concussio corporis esset necessaria, semper tamen cum cautela, et ideo his praemisit emollientia, humefacentia; indicatissima solum applicuit; sic Veratrum album, Helleborum orientale, et nigrum, frequentius adhibuit, quam Peplum (s. succus Euphorbii Pepli). Prioribus saepe addita sunt: Semina Sesamoidis, Semina Athamantae Cretensis, Sem. Anisi etc.

*Evacuatio Urinae* s. Diuresis quoque certa ex poscebat remedia, et hic primum tenuere locum Cantharides, ex quibus tres demitis alis et pedibus in copia quadam aquae contrebantur, et in hydrope uno haustu absuebantur; solitum etiam erat, potus quosdam ex Allio Cepa, Porro, et Apio graveolente exhibere, quibus aliquid mellis additum fuerat.

*Diaphoretica* specifica non noscebantur Hippocratis tempore: totum tanien regimen in morbis acutis,

qui per eminentiam sudore solvebantur, eo erat directum, ut Crisis haec benefica subsequeretur. — *Sputa* etiam ut sudorem, indirecto modo conabatur accelerare.

Externe plura adplicuit, utpote: Epithemata sicca, et humida, cataplasma, inunctiones cum oleo, collyria, linctus, Pessaria etc. Metallica remedia pauca novit Hippocrates, uti: Vitriolum Cupri nativ. Aeruginem, Plumbum et Alumen, quibus omnibus usum habuit in indicationibus, ut apud Medicos nostris temporibus contingit. — Ex his praegressis, notiones etiam in *Pharmacologia*, quas Hippocrates habuit, patent.

Haec praemissa rite perpendenti pronunciandum est: Merita Hippocratis in Pathologia, Diaetetica, Semiology, et Medicina practica omni laudi esse superiora, eumque harum doctrinarum fundamenta possuisse.

Hic finem meac dissertationi imponere volenti se offert quaestio: an Hippocrates etiam in Chirurgia versatus fuit?

### *Hippocratis Chirurgia.*

Hippocrates etiam Chirurgiae erat gnarus, et qui in acutis morbis sanitatem blandissimis reducere conatus fuit; etiam ferro, igneve ad idem praestandum non recusavit uti: in libr. de Officina Med. plura inveniuntur data ad idem comprobandum. Invenitur ibi locorum

*Trepanatio*, cuius indicationem invenit in omni penetrante Capitis laesione; monet autem, ut intra tres dies instituatur, quia secus prosper exitus non sequetur. Haec doctrina per Hippocratem fere exhausta. — *Fracturas* ossium per extensionem, et contraextensionem, levique apparatu ligamentorum sanabat; tempus etiam novit, intra quod ossa concrescunt: imo addit hanc concretionem multum modificari per Aetatem, sexum, influxusque alios. — *Luxationes* majores artificiosis machinis; eas vero minorum articulationum simplici adparatu restituit. — *Cauteris* saepe erat usus, qua revellentibus, uti in Rheumate, Ischiade. — In omni majori laesione injunxit quietem, et naturalem situm partis laesae, praeterea diaetam assignavit strictam. Adhibuit porro Cataplasma-ta, interne purgantia maxime in vulneribus Capitis, aut si Erysipelas ex saburra gastrica accesserit. — Novit porro, omne vulnus contusum solum per suppurationem sanari.

### Epilogus.

En L. B. succinctam Historiam *divi Parentis Medicinae*, qui velut benignus genius non solum Scientiae functionum sani, aegripe corporis, sed et arti afflictum organismum pristinae integritati restituendi recte eam impertivit directionem, qua utraque generi humano quam maxime salutaris evaderet. — Hic suscepit dignissimam suac virtutis, atque ingenii curam, ut Empiriam Asclepiadum examini rationis subjiceret, et Theorias Philosophorum in Experientia fundaret. — Hic erat, qui de vi naturae medicatrice convictus, summum officium Medici judicavit, hanc eandem assidue observare, effectusque status aegri sanctissime no-

tare; qui semiologiae corporis infirmi per stabilitam Experientiam, perque nova inventa novum splendorem, majoremque certitudinem addidit. — Hic erat, qui diaeteticas Medicorum gymnasticorum regulas ad firma devexit principia, et eo morborum curae principaliter consuluit. — Hic erat, qui tam multiplicem influxum tempestatis, anni temporum, Climatis, Ventorum, aquae, consuetudinis, rationisque vivendi, in Morbos sagacissime perspexit. — Hic erat, qui primus universales medendi regulas stabilivit, et ita firmam basim pro universalii Therapia posuit. — Tandem *Hippocrates* erat, qui piam imitationem Naturae Medicorum sidei mandavit, quive cunctas artificiales Methodos Naturae subjiciendas esse, injunxit. Hunc omnes veri Medici sequebantur, comitantur, gratae prosequentur, in eo omnes consentientes quod impossibile sit: meliorrem insequi. — Ast proh dolor! horum illustrium virorum numerus circumscriptus est; et saepc longiores periodi praeterlapsae sunt, in quibus et unus numeraretur, cujus labores dirigerentur in conservationem sanctae nobis relictae haereditatis, imo quod pejus: de die in diem exsurgunt novae sectae, novi impugnatores contra divum Hippocratem, Medicinae Parentem. Et haec conspiciens verbis immortalis mei olim Moderatoris, *Ph. C. Hartmann* finire mihi liceat: „Atque per tot discrimina rerum eo tandem pervenimus, ubi nunc versamur, et ubi Medicina inter speculationem sublimem, et empiriam rudein continuo fluctuans, paucos modo cultores numerat, qui ratione et experientia ducibus, vitae et morbi scientiam ita perfecerunt, ut firmum arti salutiferae fundamentum praebeat.; medicumque talem constituat, ut eorum, quae in mortalium salutem molitur, rationem reddere valeat: dum interea illorum, qui Medicinam faciunt, pars longe ma-

jor, sive Medicinam hippocraticam, sive Naturae philosophiam prætendant, sive angustam de contrastimulo, aut sanguinolentam Broussaisii de congestione et inflammatione doctrinam, vel et coccam Homocopathiam caeca fide sequantur, nil nisi rudem ad lectos aegrorum empiriam exercet.

## Literatura.

- J. Heurnius. Oratio de Medicinae origine etc. Leidae. 1608.
  - B. Moser. Quadriga Medicinae triumphantis etc. Colon. 1645.
  - B. Albinus. De ortu, et progressu Medicinae. Francof. et Lugd. Batav. 1702.
  - G. Goldner. De Medicinae origine. Gera. 1712.
  - Fr. Börner. Programma de vera Medicinae origine. Witteb. 1754.
  - Alb. ab Haller. Bibliotheca medicinae practicae etc. Bernae. 1776—1788.
  - K. Sprengel. Versuch einer pragmat. Geschichte der Arzneykunde. 1821.
  - K. Sprengel. Beiträge zur Geschichte der Medezin. Halle. 1794.
  - A. Kecker. Die Heilkunst auf ihren Wegen zur Ge-wisheit. Gotha. 1808.
  - T. F. K. Hecker. Geschichte der Heilkunde. Berlin. 1822—1829.
  - Hippocratis opera omnia. Genevae. 1662.
-